

Amplissimi & Generosi viri Dni.

IACOBI CVRTII, ANTEA PROCAN-  
CELLARII IMPERII,

Ad

TYCHONEM BRAHE IN DANIAM

SCRIPTARVM ANNO CID ID XC.

S. P.



Magnas tibi ago gratias, Nobilis æquè ac eruditissime vir, quod me non modo literis tuis compellare, sed benevolentiam quoque tuam tam amanter offerre mihi volueris. Ego certè, licet faciem tuam non viderim meliorem tamen tui partem, mentem nempè, ex scriptis tuis, quibus te ipsum æternitati jam consecrafti, jam olim & amavi & suspexi, & eius caussa totum te videre, venerari, & amplexari non minùs avidè concupivi, quàm illi olim, qui ex ultimis Hispaniæ finibus ad Livium videndum in urbem profecti sunt. Auxit hoc meum desiderium humanissima hæc tua compellatio, & in tantùm auxit, ut, nisi Cæsaris voluntas, & muneris publici, quod gero, ratio prohiberent: ita me DEVS amet, neque itineris intercapedo & molestia, neque suavissimæ conjugis dulcissimorumque pignorum amor & illecebræ me cohiberent, quin arrepto itineris comite communi amico Thaddæo Hageccio ad te in Daniam usque excurrerem. Dicere nequeo, quanto perè me delectet cum Hageccio, mente, postquam corpore non possumus, totam Huenam perlustrare, & imprimis exactissima tua observatoria Instrumenta, totum denique Mathematicum illum apparatus vel imaginatione tantùm complecti. Quid verò si ipse spectator adessem, teque ipsum omnia non explicantem tantùm, sed exercentem videre possem? Sed id quia optare quidem licet, sperare hoc tempore vix (neque enim omnem spem penitus abjeci:) missum jam faciam, & ad Epistolam tuam conversus, paucis ad summa eius capita respondebo. Atq; hoc imprimis. Quod iudicium meum de scriptis tuis amanter exquiris, quod censuræ meæ, eam quæ tibi cum doctissimis quibusdam viris non tam lis, quàm amica est concertatio, subjicis, in eo tantum mihi à te honoris tribui accipio, quanti non facerem, si Reges & Principes de Regnis & Provinciis integris disceptantes, me sibi iudicem constituerent. Ut verò, id quod petis & offers, mihi faciendum sumam, nec eruditio, quæ in me aut nulla est, aut verè exigua, neque modestia mea patitur. Nè tamen ad tam amicam postulationem planè surdus sim, hoc habeto. De scriptis tuis quid in genere sentiam, testabitur Cæsareæ Majestatis privilegium, quod hisce literis adjunctum tibi mitto, cuius ita conscribendi ego Cæsari author, & porrò, vera in eo Cæsarem testari, sponsor fui. In specie verò ea quæ de Cometis posterioribus, quotquot ipse observasti, à te tradita solidissimisque rationibus confirmata sunt, talia esse puto, ut de iis nè ambigi quidem amplius ab Eruditis viris queat. Itaque non adducor, ut credam eos qui hac in parte dubios sese adhuc ostendunt, & contra demonstratam veritatem Aristotelis authoritati patrocinari videri volunt, id ita verè sentire. Sed hoc potius eos agere puto, ut, cum omnem moverint lapidem, omniaque undique conquiverint, quæ Aristoteleam sententiam confirmare, tuam verò labefactare, aut dubiam reddere videantur, ea tibi proponant, tanquam at Lydium lapidem examinanda, adeoque causam tibi præbeant, eruditionis tuæ Sole, omnes omninò errorum tenebras non modo, sed vel levissimas nubeculas dissipandi, exactissimamque